



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 10. Hiltgardis historiam non temerè pro fabula habendam, vel sine vtili doctrina putandam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

usque ædificij sacri origo, teste Bruschio.

§. X.

Hiltgardis historiam non temerè pro fabula habendam, vel sine utili doctrina putandam.

Quod num ita sit, ego neque jurare volo, neque litigare. Narrata narro. Authore do, non fidem; quæ sit penes authores. Scio esse, qui moneat, in acta *Hiltgardis prodigiosa fabularum monstra, qualia nec Phryx olim fabulator cogitavit, nec Phædro in mentem fuerunt, nec in Parnasso Ascreus somniauit, irripisse, & à quibusdam in historiam, tamquam certa legitimaq; recepta admissaq;.* Ego hæc pro certis non vendo. Monstra tamen fabularum non agnosco, nec somnia, qualia Æsopus aut Phædrus somniauit. Non enim bestia in his gestis feruntur locuta; sed talia narrantur, qualia passim alijs quoq; herouibus leguntur contigisse. *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Ita eorum exercet virtutem; ita probat patientiam, ita illustrat sanctitatem; ita denique ostendit, calumnias ad extremum in ipsorum calumniantium infamiam redundare. Enimuerò, si demus hæc ficta esse, an nihil ex illis discere licet? *Fabula etsi vim veritatis non habeat,* ait S. Ambrosius, *tamen ratio*

Psal. 67.
63.

S. Ambr.
lib. 3 de
officijs.

rationē habet, ut iuxta eam possit veritas manifestari. Referunt seculares, virum quemdā fuisse, ut quoties beneficio virium suarum destitutus, amicam & nutricem terram impulsu aduersarij cōtigisset, de solo surgens magis in aduersarium preualeret; & sic occasio prostrati occasio fiebat triumphī. Dabat infirmitas fortitudinē, lapsus palmam, ruina victoriā. Cui hac conuenient, nisi Christo, qui ad hoc cecidit, ut gloriosior resurgeret? Hæc D. Ambrosius. Licet ergo pari modo siue historiam, siue fabulam Hiltegardis etiam nobis ad mores accommodare.

§. XI.

*Qua è factis & narratâ Hiltgardis fortunâ
documenta capiantur?*

Ac sanè multa inde hauriri possunt documenta. 1. Etiam magnatibus suas cruces, suasq; ærumnas esse; vt inde humilientur. Immò quò quisque est maior ac potentior, eò magis patet ad ictus Fortunæ excipiendos. 2. Hinc solatium est minorum gentium hominibus, si videant etiam Principibus, Regibus, Imperatoribus suos esse casus, seq; tantos socios habere miseriarū. 3. Monentur Principes, vt videant, cui fidant. Talandus cognatus fuit Caroli Magni,